PETRI IOANNIS PERPINIANI VALENTINI

E Societate Ieſu orationes duodeuiginti: Nunc primum in Belgio excuſæ.

Acceſſit oratio Stephani Tuccij Societatis Ieſu habita in exequiis Gregorij XIII. Pontificis Maximi.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALMANTINA

Coll. Soc. Iesu Salm. ex dono Regum

DVACI,
Apud Ioannem Bogardum.
M. D. XCI.

FRANCISCVS Bencius ex Societate Ieſu,

ODOARDO FARNESIO PRINCIPI, S. P. D.

RECTE ſane ac ſapienter, Odoarde Farneſi, eruditi homines ac literis diditi, plurimũ ſibi præſidij ad omnem vitæ cultum et fructum, in nobilium virorũ & omni dignitate principum patrocinio poſitum eſſe voluerunt: ex quo factum eſt, vt non tantum quod Ariſtippus dicebat, potentiorum ædes celebrent, ſed etiam nihil literis mandent, quod non eorum, quos ſibi colendos ſuſceperunt, pręfulciendum nomine atque honeſtandum putent. etenim, etſi lux quędam videtur ineſſe in omni genere monumentorum, tamen haud fieri poteſt, vt eluceat prius, quam eam clariſſimi alicuius viri

PETRI IOANNIS PERPINIANI

DE SOCIETATIS Ieſu Gymnaſiis Oratio I.

Habita eſt cùm Rex Luſitaniæ inuictiſſimus Ioannes, hoc nomine tertius, Conimbricenſe Gymnaſium Societati IESV tradidiſſet.

Etſi natura ipſa ita comparatum eſt, Pontifices vigilantiſſimi, virique doctiſſimi, vt maiora ſe quiſque ſuſtinere poſſe arbitretur, quàm quantum eius ingenium ac vires ferre queant: ſæpeque falſa quadam exiſtimatione roboris, mediocria illa onera eſſe putet, quorum pondere oppreſſus, vix ſe vſquam commouere poſſit, tamen huius rei, quæ à nobis hodierno die ſuſcipitur, magnitudo tanta eſt & grauitas, vt facilè cuiuſuis hominis animum, & ſe rebus omnibus futurum eſſe parem exiſtimantis, debilitare poſſit ac frangere, ne dum noſtrũ, quorum ſuſceptę vitæ rationes id quodam modo videntur ſuo iure poſtulare, vt nullum tam leue ducamus onus, cui non vires noſtras impares eſſe fateamur, nam ad illud nos aggredi video, in quo, vt à nulla officij parte recedamus, difficile factu eſt, vt verò afferamus

mi, vt in tantæ dignitatis faſtigio nihilominus, quam cum priuatus ageres, intemperantiam oderis, & inſolentiam, nullo ſacerdotij culmine, nullis adulatorum vocibus, nullo plauſu populi acclamantis elatus. Rerũ, opinor, humanarum ille imbecillitatem, fragilitatemque cogitabat, & ad futurum aliquando extremũ diem, quo quicquid vſpiam honoris, gloriæ, celebritatis eſt, euaneſceret. Hæc ipſa vrbs, hæc Baſilica Principis Apoſtolorũ, hæc Patrũ corona, qui Gregorium videre quõdam, hexaphoris, aurata, & tanquam curuli ſella, ceteriſque pontificiæ Maieſtatis inſignibus coruſcantem, iidem per hoſce dies illum viderunt exanimem, redactum in aliorum mortalium ordinem, in feretro iacentem, & de Pontificij celſitudine ſolij in pædores tumuli ſqualentis abiectum. Hic exitus, hic occaſus eſt honorum omnium: ad hunc ſcopulum quæcunque admirantur homines, illiſa franguntur: in has tenebras, ac ſolitudinem redigendum, quicquid in mortalium oculis eniteſcit. Continenter ac pie viuendi norma mors eſt: nec vitæ ſtadium recta decurrit, qui in ſtadij metas non defigit obtutum. Hæc laus, hic apex ſapientiæ eſt, ea viuentem appetere, quæ morienti forent appetenda.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA